

Omelia XXIX. in Mattheum Iohannis Chrysostomi interprete Burgundio
(BAV MS Vat. lat. 383, ff.106va-108rb)

Et intrans in nauigium transfretauit, et uenit in propriam ciuitatem. Et ecce attulerunt ei paraliticum in lecto iacentem. Et uidens ihesus fidem eorum, dixit paralitico. Confide fili dimittuntur peccata tua.

Commented [ND1]: [fol.106va]

Commented [ND2]: [fol.106vb]

Propriam eius ciuitatem hic, capharnaum dicit, alia quidem enim extulit eum bethleem, alia autem nutriuit, nazareth, alia autem habuit habitantem continue capharnaum, paraliticus denique alter hic est, preter eum qui in iohanne ponitur. Hic quidem enim in natatoria iacebat, hic autem in capharnaum. Et hic quidem triginta octo habebat annos, de hoc autem nichil tale dictum est. Et hic quidem famulis carebat, hic autem habebat eos, qui sui curam habebant, qui et portantes eum attulerunt. Et huic quidem ait. Fili dimittuntur peccata tua. Illi autem ait, uis sanus effici? et illum quidem in sabbato curauit, hunc autem non in sabbato. Profecto enim utique incusassent et hoc iudei, et in isto quidem siluerunt, in illo autem imminebant persequentes. Haec autem non simpliciter a me dicta sunt, sed ut nullus dissonantiam esse estimet, unum et eundem suspicans paraliticum. Tu autem michi intende humilitatem et mansuetudinem dominatoris. Etenim et ante hoc turbas dimisit, sed et ab his qui in gadaris expulsus, non restitit, sed recessit quidem non tamen longe. Et rursus in nauigium intrans, pertransibat, potens et pede pertransire. Non enim semper inopinabilia facere uolebat, ut non dispensationis noceat rationi. Matheus igitur ait, quoniam attulerunt eum. Alii autem quoniam et tectum interrumpentes eum summiserunt, et proposuerunt christo laborantem, dicentes quidem nichil, ei autem totum concedentes. In principio enim et ipse circumducebat, et tantam ab aduenientibus petebat fidem, hic autem et aduenerunt, et fidem expetebant. Videns enim ait fidem eorum qui summitterebant. Non enim ubique a laborantibus solum querit fidem, puta cum insaniunt uel aliter ab egritudine in excessu mentis fuerint. Magis autem hic et laborantis erat fides. Non enim permisisset summitti, non credens quia igitur tantam ostenderunt fidem, monstrat et ipse suam uirtutem cum omni potestate soluens peccata, et monstrans per omnia, quoniam cohonorabilis est ei qui genuit. Intuere autem superius monstrauit per doctrinam, quando docuit eos, ut potestatem habens, per leprosum, quoniam dixit uolo purgare. Per centurionem quando dixit, dic uerbo solum, et sanabitur puer meus. Ammiratus est, et super omnes diulgauit per mare, quoniam id refrenauit uerbo solum per demones, quando eum iudicem confitebantur, et cum multa potestate eos expellebat. Hic autem rursus alio maiori modo, inimicos eius cogit confiteri coaequalitatem honoris, et per os eorum id constituit manifestum. Ipse enim non dilectionem honoris ostendens, etenim multum circumstabat theatrum ingressum prohibens. Ideoque desuper eum summiserunt, non cucurrit confestim corporis eius qui apparebat curationi, sed ab illis accipit occasionem. Et quod incertum est, primum curauit animam, peccata dimittens. Quod illum quidem saluabat, ipsi autem non multam gloriam afferebat. Illi enim a peritiae molestati, et diffamare uolentes, fulgere quod factum est, et nolentes instruxerunt. Etenim bonus machinator existens, ipse emulatione eorum insigni ostensionem, usus est. Quia igitur tumultuabantur, et dicebant hic blasphemata, quis potest dimittere peccata nisi solus deus, uideamus quid ait ipse. Numquid destruxit suspensionem? quamuis si non equalis esset, oportebat dicere, quid me atteritis non decenti suspensione? longe ab hac ego sum potestate. Nunc autem horum quidem, nichil dixit. Contrarium autem uniuersum, et

Commented [ND3]: uel ille add. super lin.

Commented [ND4]: natatoris add. super lin.

Commented [ND5]: uel ille add. super lin.

Commented [ND6]: uel ille add. super lin.

Commented [ND7]: non abegit add. super lin.

Commented [ND8]: mare add. super lin.

Commented [ND9]: incarnationis add. super lin.

Commented [ND10]: [fol.107ra]

Commented [ND11]: cum patre add. super lin.

Commented [ND12]: id est add. super lin.

certificauit, et firmauit, sua uoce et miraculi ostensione. Quia enim in dicendo ipsum quedam de seipso uideretur **preminere** auditoribus per alios **certificat**, quae de seipso sunt. Et quod utique est mirabile, quoniam non per amicos, sed et per inimicos. Hoc enim est superhabundantia eius sapientiae. Per amicos quidem, quando dixit, uolo purgare, et quando dixit, quoniam neque in israel tantam fidem inueni. Per inimicos autem nunc, quia enim dixerunt, nullus potest dimittere peccata nisi solus deus, induxit. Vt autem sciatis quoniam potestatem habet filius hominis dimittendi peccata in terra, tunc dicit paralitico. Surgens leua grabatum tuum, et uade in domum tuam. Non hic autem solum sed et multis in locis, rursus dicentibus eis de bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, et quoniam tu homo existens facis teipsum deum, neque illic gloriam hanc dissoluit, sed rursus eam firmauit dicens, si non facio opera patris mei, non credite michi. Si autem facio, etsi michi non creditis, operibus credite, hic nimirum et aliud signum suae deitatis ostendit, non paruum, et coequalitatis quae est ad patrem. Illi enim dixerunt, quoniam soluere peccata dei solius est. Ipse autem non soluit peccata solum, sed et ante hoc aliud quid demonstrat, quod dei solius erat, proferre ineffabilia quae sunt in corde. Neque enim protulerunt in medium, quod excogitabant. Ecce enim quidam scribarum ait, in seipsis dicebant, hic blasphematur. Et sciens ihesus cogitationes eorum dixit. Vt quid cogitatis pernitiosa in cordibus uestris? Quoniam autem dei solius est ineffabilia scire, audi quid ait propheta. Tu nosciscorda solus. Et rursus, scrutans corda et renes deus. Sed et ieremias ait, graue cor est super omnia. Et homo est, et quis noscet eum? et homo uidebit in faciem, deus autem uidebit in cor. Et per multa est uidere, quoniam dei solius est ea quae secundum mentem sunt scire. Monstrans igitur quoniam deus est equalis ei qui genuit, quae in seipsis excogitabant, formidantes enim multitudinem, non audebant suum **consilium** in medium proferre, hoc reuelat, et **manifestum** facit, multam et hic non **honorositatem** demonstrans. Vt quid enim ait, excogitatis pernitiosa in cordibus uestris? quamuis si angustiari oporteret, laborantem angustiari deceret, ut deceptum et dicere, alterum ueni curare, et alterum emendas? unde manifestum est, quoniam dimittuntur michi peccata. Nunc autem ille quidem neque loquitur aliquid tale, sed dat seipsum curantis potestati. Hii autem superflui existentes et emulatores, aliorum insidiantur beneficiis. Ideo increpat quidem eos, cum mansuetudine autem uniuersa. Si enim non creditis ait priori, et ostentationem esse estimatis quod dictum est, ecce aliud illi **adicio** ineffabilia uestra reuelare, et post illud, rursus aliud quale utique est hoc constringere corpus dissoluti. Et quando quidem dixit paralitico, manifeste potestatem suam ostendens dixit. Non enim dixit dimitto tibi peccata, sed dimittuntur tua peccata. Quia uero illi cogebant, altiore suam monstrat potestatem dicens. Vt autem sciatis quoniam potestatem habet filius hominis in terra dimittendi peccata. Vides quantum aberat a non uolendo estimari equalis patri? neque enim dixit, quoniam indiget alio filius hominis, uel quoniam dedit ei potestatem, sed quoniam potestatem habet. Et quoniam neque id ad honoris dilectionem dicit, sed ut uos suadeant, ait quoniam non blasphemus, equalem seipsum faciens deo. Vbique enim demonstrationes uult tribuere manifestas, et inrefragabiles. Vt cum dicat uade teipsum ostende sacerdoti. Et socrum ostendit petri ministrantem, et porcos concedit precipitari. Ita utique et hic peccatorum quidem dimissionis coniecturam corporis constrictionem facit. Constrictionis autem hoc idem portare grabatum, ut non estimetur fantasia esse quod factum est, et non prius hoc facit, donec eos interrogauit. Quid enim ait, facilius est dicere dimittuntur peccata tua, uel dicere leua **grabatum** tuum, et uade in domum tuam, quod autem dicit tale est. Quid uidetur facilius uobis esse corpus constringere dissolutum, uel animae peccata soluere? manifestum est quoniam corpus constringere. Quanto enim anima corpore est potior, tantum peccatum dimittere, **hoc** est maius. Sed quia hoc quidem non manifestum, hoc autem manifestum, adicio deficientius quidem, manifestius autem, ut et quod maius, et quod non

Commented [ND13]: uel aduersari *add. super lin.*

Commented [ND14]: [fol.107rb]

Commented [ND15]: uel mentem *add. super lin.*

Commented [ND16]: [fol.107va]

Commented [ND17]: uel tolerantiam *add. super lin.*

Commented [ND18]: id est *add. super lin.*

Commented [ND19]: [fol.107vb]

Commented [ND20]: eo *add. super lin.*

manifestum est, per hoc accipiat demonstrationem, per opera reuelans iam, quod a iohanne dictum est, quoniam ipse leuat peccata mundi. Resuscitans igitur eum, in domum mittit. Rursus hic humilitatem monstrans, et quod non fantasia erat quod factum est. Infirmittatis enim testes hos facit et sanitates. Ego enim uolebam ait per tuam passionem, et eos qui uidentur sani esse, egrotantes autem mente curare. Quoniam autem nolunt, abi in domum, eos qui illic sunt emendaturus. Vides qualiter monstrat et animae et corporum, se existentem conditorem? Alterutrius igitur substantiae paralysin id est dissolutionem sanat, et incertum ex certo, manifestum facit. Sed tamen adhuc deorsum trahuntur. Videntes enim turbae ammiratae sunt, et glorificauerunt deum, ait qui dedit potestatem talem hominibus. **Preminebat enim eis caro.** Ipse autem non increpabat, sed procedit, per opera erigens eos, et altum sensum eorum faciens. Interim enim non erat paruam estimare omnibus hominibus maiorem et a deo uenire. Si enim hec bene certificassent apud seipsos uia prouenientes, cognouissent utique, quoniam et dei filius erat, sed non detinuerunt hec manifeste. Propter hoc neque accedere poterant. Dicebant enim rursus, hic homo non est a deo, qualiter est hic a deo, et continue haec uolebant, **proprium passionum** hec premitentes uelamina quod multi et nunc faciunt. **Et deum estimantes ulcisci, proprias** complent passiones, cum oporteret cum mansuetudine **uniuersa** pertransire. Etenim uniuersorum deus fulmen potens mittere in blasphemantes eum, solem oriri facit, et humbres emittit, et alia omnia cum copiositate tribuit.

Quem oportet et nos imitantes rogare, ammonere, consiliari cum mansuetudine non irascentes, neque ferales effecti. Neque enim iactura aliqua in deum a blasphemia euenit, ut irascatur, sed qui blasphemauit, ipse et uulnus accepit. Itaque ingemisce, luge. Etenim lacrimis digna est passio, sed et uulneratum nichil ita ut mansuetudo curare potest. Mansuetudo enim omni ui potentior est. Vide itaque qualiter ipse nobis qui iniuriam passus est loquitur, et in ueteri, et in nouo testamento. Illic quidem dicens, populus meus, quid feci tibi, hic autem, saule, saule, quid me persequeris. Sed et paulus in mansuetudine iubet erudire eos qui aduersae disponuntur. Sed et christo cum accesserunt discipuli rogantes ignem descendere de caelo, ualde increpauit eos dicens, non nouistis cuius spiritus estis uos, sed et hic non dixit, o inquinati et aruspices, uos o emulatores, et hominum salutis inimici, sed ut quid excogitatis pernitirosa in cordibus uestris? Oportet igitur cum mansuetudine auferre egritudinem. Qui enim timore humano factus est melior, uelociter reuertetur ad pernitiam rursus. Propter hoc et zizania dimitti iussit, dans **conditionem** poenitentiae. Multi itaque eorum poenitentiam egerunt, et facti sunt studiosi, prius existentes mali. Puta paulus, publicanus latro. Etenim zizania existentes hii, frumentum effecti sunt temporaneum. In seminibus enim hoc non est operabile. In **electione** autem et facile est, et leue. Non enim naturae terminis haec ligatur, sed libertate **electionis** honoratur. Cum igitur uideris inimicum ueritatis, cura diligentiam eius habe, ad uirtutem reduc, uitam demonstrans optimam, rationem tribuens irreprehensibilem preminentiam, procuracionem prebens, omnem modum mouens emendationis, optimos medicorum imitans. Neque enim illi, secundum unum modum curant solum, sed cum uiderint non cedens uulnus priori farmaco, apponunt aliud, et cum illo rursus aliud. Et nunc quidem incidunt, nunc autem alligant. Et tu igitur animarum medicus effectus, omnem moue curationis modum propter christi leges, et alterius utilitatis accipias mercedem. In gloriam dei omnia faciens, et hac et ipse glorificatus. Glorificantes enim me, glorificabo ait, et adnichilantes me, adnichilabuntur. Omnia itaque in gloriam eius agamus, ut beata illa fruamur requie, qua fiat omnes nos potiri, gratia et filanthropia id est amore hominum domini nostri ihesu christi, cum quo patri simul cum sancto spiritu, gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in secula seculorum, amen.

Commented [ND21]: uel adstabat *add. super lin.*

Commented [ND22]: [fol.108ra]

Commented [ND23]: omnia *add. super lin.*

Commented [ND24]: Morale xxviii, quoniam fallentes in deum non oportet cum ira, sed cum mansuetudine suadere. *notum in marg.*

Commented [ND25]: terminum *add. super lin.*

Commented [ND26]: uel consilio *add. super lin.*

Commented [ND27]: uel consilii *add. super lin.*

Commented [ND28]: [fol.108rb]